



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 51. Regis exercitus in Aquitanniam missus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

hoc infedit consilium, præprimis omnia præcavenda, & sollicitè circumspicienda esse, ut Normannia, cujus gubernandi munus Comiti Richemundio Connestabili, & Brezæo Senescallo concreditum erat, integra conservaretur, Pentiverium vero Comitem, & Petrocorium Lemovicensem Vicecomitem in Aquitanniam mittendos, quibus accederent Carolus Culantius, Jalognius Franciæ Marescallus, Pontinus Santrallus Bituricensium Prætor, Godefridus Sanbellinus, Joachimus Rouantius, Petrus Lovaniensis, pluresque alii Proceres, unacum quingentis, vel sexcentis lanceariis, eorumque Saggitariis, quibus in mandatis daretur, ut exactè disciplinam militarem colerent, ac popularium in se invidiâ, odiumque studiose præcaverent.

Sæcul. XV.
A.C. 1450.

§. LI.

Regis exercitus in Aquitanniam missus.

Ergo omnes isti Belliduces, in Aquitanniam tendunt, & expeditionem bellicam ab obsidione Bergeracensis urbis auspiciantur, quæ mense Octobri deditio- nem fecit, ejusque Præfectus Culantius Marescallus nominatus est. Eodem victoriæ cursu Joniacum castrum vi occupatum est, præsi-
diariis in captivitate abductis.

T 4

Urbe

Sæcul. XV. A. C. 1450. Urbe capta in varias partes dimittebantur copiae, aliae Monferrandum cingebant, cujus Præfectus Gallorum manibus se dedit, inde cum ad oppidum S. Fidei processissent, Chalesius sub iisdem pactis urbem subegit.

§. LII.

Ærarii exactor ob infidelitatem multatus.

Deficientibus eo tempore stipendiis, milites apud Regem conquesti sunt; cujus jussu Joannes Xainconius supremus regii ærarii Præfectus, ejusque vicarius Joannes Chartierus nomine, carceri mancipantur, malæ administrationis, & Regiæ pecuniæ in rem suam versæ convicti. Castigandos esse omni legum rigore visum est ceteris, Rex vero clementiam severitati præferens, solum eorum bona fisco addici, & Xainconio sexaginta millium aureorum, qui militibus in stipendium cederent, multam imponi voluit, quæ summa nullatenus ingentem a se ablatorum, ac corraforum vim proprio oris sui testimonio æquabat.

§. LIII.

Homagium a novo Britannicæ Ducis Regi præstitum.

Ultima Octobris die in profesto Sanctorum
rum